



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

24. A quo tempore Reges Frisia nacta est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

tuna, non fortia facta, non spiritus populo animoso, nec emulatio vicinorum quibus reges erant præfecti. Madeblicum Frisiorum regum opus & arcem Regiam fuisse multis est persuasum. Vide Batauiam Adriani Iunij & Petri Bertij.

Nec obijciat siue Krantzius siue quis alius, prædictos Authores nostros fautores, reges accipere lato vocabulo à regendo, quo omnes qui præsent, præsertim cum splendore & potentia, reges possunt nominari: inspiciat & perlegat dumtaxat eos, percipiet eos inter Reges, Duces, Cõites optimè potuisse distinguere & proprie loqui, prout Historico congruit: v. g. Venerab. Beda lib. 5. histo. cap. 11. Radbodum regem, Pipinum verò, quem constabat regem non esse, solum Ducem Francorum nominat, quamquam Regia Authoritate ingentiq̃ue potentia imperaret. Regalem hanc Radbodi coronam defendendam pariter suscepit Ianus Doufa, apud quem Ado & Sigebertus exculantur, scilicet, denegasse Radbodo regis titulum propter contumeliosam catholici ritus irrisiõnem, & in gentilismo pertinaciam, quâ rex audire non merebatur.

DIS S E R T A T I O XXIV.

A quo tempore Reges Frisia nacta est.



Esp. tempus præcisum plane est incertum ob fugientem nos antiquitatem. Occo Scarlensis & Chronica Frisiz statunt Adgillum patrẽ Radbodi quintum Regem Frisiz, consequenter Radbodum, sub quo venit S. Willibrordus, sextum. Suffridus lib. 1. de Origine Frisiorum cap. 9. Duo condit Frisiz Regna, Orientale cuius caput Stauria, & Occidentale cuius caput Medenblicum, in quibus Reges esse cœperint.

anno

anno 392 cum antea solum essent Duces: ac anno 533. sub Beroaldo vtrumque Regnum fuisse coniunctum ac deinceps sic perseverasse per aliquot Reges, scilicet, Agdillum, Radbodum, Adgillum 2. Gondobaldum, Radbodum 2. Suffrido sua sint, quia pleræque eius narrationes de antiquis Frisiæ rebus à probatis authoribus reprobantur. Nobis interim saltē verò proximum est, Frisios regio sceptro vti cœpisse inter annum Christi 400. & 500. quo ævo ex angustijs spatij in amplissimos sese diffuderunt terminos. Tum opes regiæ dignitati tolerandæ, vires, arma Regia Maiestate digna: prouocabant tum generosam Friscā indolem vicina regna Francorum, Austrasiorum, Danorum quibus erant collaterales, quibuscum non rarò negotia. Et solent Nationes auctis Prouinciarum terminis, ampliatis Iurisdictionibus, augustiores titulos assumere. Sic olim nunc hæc, nunc illa Monarchia. Sic ad idem tempus quo Frisia, aucto in immensum Francorum Imperio, Austrasiæ regnum 511. exoritur primo eius rege Theodorico filio Magni Clodouei primi Franciæ regis Christiani Metis solium suum locante fuitque is secundus Princeps Christianus, qui Brabantia, quæ sub Austrasia continebatur, præfuit, à quo Marchionatum Antuerpiensem originem sumpsisse multi perhibent. Vide Molanum militiæ sacræ Ducum Brabantia cap. 2. Lipsium lib. 1. Louanij cap. 12. Sic Lusitania quondam Ducatus, in regnum est elata post annum 1100. Sic simile alijs regionibus euenit: est, scilicet, natura Imperij auida. regnum res inter Diuos hominesque pulcherrima est, inquit Liuius.